



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 112. Quædam Simonis Vigoris propositiones examinatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

tibus. Ceterum Maldonatus natione Sæcul. XVI.
 Hispanus, ac Fontanæ-Magistri exiguo A.C. 1564.
 Extremaduræ oppido natus, priusquam
 Lutetiam Parisiorum avocabatur, Do-
 minici Soti Dominicani, & Francisci
 Toleti Jesuitæ Magisterio usus Salman-
 ticæ studiis non sine profectu operam
 navabat. Ceterum Jesuitæ vix præle-
 ctiones suas incipiebant, cum illico ve-
 xationes recrudescerent; quippe Joan-
 nes Prævotius, qui currente Mense O-
 ctobri in Rectoris munere Juliano San-
 Germano succedebat, omne scholarum
 exercitium eidem interdixit, donec
 luculenter demonstraissent, quo jure li-
 teras tradere aggressi essent. Editum
 erat hoc edictum die vigesima Octobris.

§. CXII.

*Quædam Simonis Vigoris propo-
 sitiones examinatæ.*

Die secunda Martii hoc anno Parisi-
 næ Facultatis Theologicæ Depu- Argent. l.c.
 tati, quibus res fidem concernentes dis- p. 340.
 cutiendi cura erat demandata, con-
 ventum celebrabant, ut quasdam pro-
 positiones a Simone Vigore ejusdem
 Facultatis Doctore in quodam sermone
 enuntiatas ad examen vocarent: accu-
 sabatur enim is hæc proposuisse I. Ba-
 ptismus collatus ab Hæreticis, & ma-
 xime a Calvinistis non prodest ad sa-
 lutem.

Sæcul. XVI. I. Iudem. II. Apostoli non dabant Spiritum Sanctum, nec legitur, quod receperint hanc potestatem, licet possint rogare, ut Deus illum mittat. III. Sancti in Canone Missæ non invocantur, sed duntaxat commemorantur. IV. Nul-
 lus potest Paradisum intrare, nisi transeat per Purgatorium, quantacunque quis sanctitate emineat; nam ab eo etiam nec Sancti Petrus, & Paulus, imo ne ipse quidem Sanctus Joannes Baptista exempti fuerunt. V. Idololatriam committit, qui credit, quod quædam divinitas in Beatissima Virgine fuerit, etsi aliquis genua non flecteret illam adorando. VI. Hugonottæ non baptizant *ad salutem*, hinc cunctos ab eis baptizatos iterum abluere oportet. VII. Calvinistæ non baptizant, quia non majorem habent fidem, ac ipsemet infans, aut illi, qui infantem deferunt. VIII. Solum Baptismi Sacramentum ad peccatorum remissionem datum est. IX. Si dicitur, quod Christus Dominus descenderit ad inferos, non id intelligendum venit, perinde ac si liberasset Patres, qui in nullo doloris loco detinebantur. X. Limbus est in Paradiso, & cælo, non quidem in loco, ubi Deus habitat, sed paulo inferius. XI. Tres Sancti Magi erant impii, Venefici, & Magi, sed Deus illos ab his sceleribus
 retra-

retraxit. XII. Ad obtinendas indulgentias non magis jejunium, quam oratio requiritur, quia Pontifex hac in re præceptum injungere non intendit. Insuper accusabatur, quod in suis sermonibus sæpius hæc verba repetierit: Magnus Origenes, Sanctus Origenes, Sanctus Tertullianus. Ceterum an Facultas has propositiones damnarit, ignoratur, saltem censura earum non reperitur.

Sæcul. XVI.
A C 1564.

§. CXlii.

Novum Testamentum in lingua Syriaca editum.

Hoc item anno prima vice Novum Testamentum in lingua Syriaca prodiit, cura Joannis Alberti Widmanstadii Jurisconsulti, & Orientalium Austriæ Provinciarum Cancellarii, qui hujus operis editionem, prælumque, cum Ferdinandus Cæsar sumptus solveret, literis perquam elegantibus anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Viennæ in Austria inchoabat, ubi usus est quodam exemplari Syriaco Moyfis Merdinensis Sacerdotis, ex quo hunc librum illius regionis Jacobitis tum usui fuisse dignoscitur: porro in hac editione Syriaca tam secunda Divi Petri, quam secunda, & tertia Sancti Joannis, divique Judæ epistola, atque Apo-

Spond. hoc
ann. n. 33.
Bellarm. de
Verb. Dei
l. 2. c. 4.